

cum capitulis Corinthiis. Harum minoris moduli tabularum hodie una tantum superest, nempe n. 3608 cum inscriptione Ti. Plautii Silvani Aeliani; supererat saeculo XV a sinistra ut puto tabulae n. 3606 altera tabula n. 3607 cum inscriptione Plautii Pulchri. Antiquitus autem a sinistra certe tabulae illius maxime n. 3606 non una tantum tabula stetit, sed duae, ut colligitur ex numero parastatarum qui hodie quoque ab ea parte supersunt; potest item a dextra tabulae n. 3606 praeter n. 3608 stetisse altera olim deperdita. Ad quos ex posteris Silvani consulis anno 752 tabulae illae duae vel tres deperditae pertinuerint, nulla coniectura definiri potest. — Imaginem mausolei optime factam et ichnographiam exhibit Piranesius *le antichità rom.* III tab. 12. 13; imagines praeterea multi, in his Vulpi Lat. 10 ad p. 348; Barbault *recueil de monumens anciens* tab. 23; de Sanctis del sepolcro de' Plauzj (1784) in tabula non numerata; Rossini *le antichità dei contorni di Roma* tab. 3; Canina *edifizj* vol. VI tab. 121.

3607 videtur extitisse in tabula marmorea iuxta n. 3606 a parte intuenti sinistra, et ita diserte testatur IVCVNDVS, qui cum ad n. 3608 (quae apud eum hanc praecedit) adscripsisset 'a latere dextro ex minoribus litteris', ad hanc adscripsit 'a latere sinistro ex minorib. litteris'. — MARCANOVA quod refert 'in sepulcro quadrato habens utrinque geminos fasces', id puto non ad hanc inscriptionem neque omnino ad sepulcrum Plautiorum pertinet, verum pertinet ad monumentum viae Ostiensis huius Corp. vol. VI n. 1343 et hoc relatum est errore.

P · P L A V T I V S
P V L C H E R
T R I V M P H A L I S · F I L I V S
A V G V R · III · V I R · A · A · A · F · F · Q
5 T I · C A E S A R I S · A V G · V · C O N S V L I S p. C. 31
T R · P L · P R · A D · A E R A R · C O M E S · D R V S I · F I L I
G E R M A N I C I · A V O N C V L V S · D R V S I
T I · C L A V D I · C A E S A R I S · A V G V S T I · F I L I
E T · A B · E O · C E N S O R E · I N T E R · P A T R I C I O S
10 L E C T V S · C V R A T O R · V I A R V M · S T E R N E N D A R
A · V I C I N I S · L E C T V S · E X · A V C T O R I T A T E
T I · C L A V D I · C A E S A R I S · A V G V S T I · G E R M A N I C I
P R O C O S · P R O V I N C I A E · S I C I L I A E
V I B I A · M A R S I · F ·
15 L A E L I A · N A T A
P V L C H R I

Hanc inscriptionem post initia saeculi XVI nemo vidit, saeculo XV referunt tres auctores primarii, Cyriacus apud Petrum Donatum f. 66, cod. Parm. f. 74', cod. Marc. XIV, 124 f. 142', cod. Vat. 6875 f. 69, cod. Angel. D 4, 18 f. 39', cod. Chis. J VI, 203 f. 14; Antiquus quem dicimus n. 3 (Maruc. f. 3', Ham. f. 61); Iucundus Ver. f. 134, Magl. f. 109. Praeterea exhibit qui reliquas plerasque dat de visu, sed hanc significat se non vidisse ('al presente non si ritrova') Brunelleschi f. 73, nullo auctore laudato. Denique principium (vv. 1—3) habet Raphael Volaterranus commentariorum urbanorum (1506) lib. XVIII (f. 255') adiunctum ad n. 3608. Repetiverunt ex Cyriacanis Scalamontius in vita Cyriaci (ms. Tarvis.); Marcanova cod. Mut. f. 64', Bern. f. 59; Felicianus Ver. f. 145, unde rursus cod. Redianus f. 125; Lilius cod. Helmst. f. 103'; Ferrarinus Traiect. f. 97, Par. f. 102, Regiens. f. 18. Ex Iucundo Mazochi f. 175 (inde Grut. 454, 1); item ex Iucundo puto pendet exemplum in fine vel interpolatum vel coniectura correctum, quod cum Grutero 452, 5 communicaverat Scaliger; ex exemplo Iucundi apud cardinalem Carpensem adservato Metellus Vat. 6039 f. 340, ubi tamen errore dicit exscriptis Martinum (Smetium), apud quem non reperitur, se tantum emendasse ex Iucundo. E Grut. de Sanctis tab. III; Nibby *viaggio* I p. 117; Orelli n. 723; alii.

Varietas lectionis, si exceperis errores commissos a scriptoribus codicum quibus exempla Cyriaci et Antiqui debemus, item notas ab aliis aliter solutas, plane nulla est; etiam in v. 16, ubi Antiquus quidem et Iucundus recte sine dubio habent PVLCHRI, Brunelleschi PVLCR, Cyriaci autem exscriptores plerique (codices Marcellianus et Vaticanus, Scalamontius in vita Cyriaci, item Marcanova) PVLCHRA, tamen ipse Cyriacus videtur posuisse PVLCHRI, cum ita habeant certe Petrus Donatus, codex Parmensis, codex Angelicanus, Felicianus. Nihilominus adscripsi etiam minima illa quibus differunt a lectione supra recepta Antiqui codices Marcellianus et Hamiltonianus, Cyriacus apud Donatum et in codicibus Mariano et Vaticano, codices Iucundi, denique Brunelleschius. — 5 CESARIS Antiqui cod. Ham. — AVGST (pro AVG) Iuc. Brun., AVGVSTI Antiqui cod. Ham. — cos Antiqui cod. Ham. — 6 AERR Donatus. — FILI Antiquus, item Cyriacus apud Donatum et Brunelleschi, FIL Cyriaci codd. Marc. et Vat., item Iucundus. — 7 AVVNCVLVS Cyriaci cod. Vat., AVONCVLVS correctum in AVVONCVLVS Antiqui cod. Ham. — 8 TIB (pro TI) Antiqui cod. Ham. — FIL Donatus. — 9 PATRIOS Antiqui cod. Ham. — 10 STERNNDARVM Antiqui cod. Ham., STENNDARVM Antiqui cod. Maruc. — 13 PROVINCIA Cyriaci codd. Marc. Vat. — 14 ET (pro F) Grut. 452, 5. — 15 LELIA Cyriaci cod. Vat. et Brunell. — 16 de lectione PVLCHRA vide supra. — Versus distribui ita ut Antiqui codex Maruc., Cyriaci codices Vaticanus et Parmensis, Brunelleschi, qui alibi quoque veram versum divisionem servaverunt (reliqui versus continuant); appareat nomina vv. 1. 2. 14—16 scripta fuisse litteris maioribus. — Consensus ille exemplorum suspicionem movet, ex eodem fonte omnia derivari; sed eam suspicionem esse abiciendam, immo statuendum, extare huius inscriptionis apographa non minus tria, re diutius ponderata repperi. Nam inter Cyriacum certe et Antiquum, ut de his primum dicam, alibi in Tiburtinis nulla affinitas est. Et Cyriacum inscriptiones tumuli Plautiorum descriptissem constat testimonio Scalamontii; Antiquum autem cum inscriptionum n. 3606 et 3608 proposuerit exempla longe accuratiora quam quisquam auctorum Smetio antiquiorum, ex hac apices quadraginta septem enotarit, in illa contignationem litterarum P et H repraesentaverit, ad hanc autem adscripsit 'in primo marmore huius tumuli hoc reperitur epitaphium', ad illam 'in secundo marmore eius tumuli hoc reperitur epigramma', Antiquum, inquam, quis credit exemplum nostrae inscriptionis n. 3607 proposuisse aliunde petitum et ei similiter ut illis quas ipse vidit adscripsisse, ut fecit, 'in tertio marmore huius tumuli hoc reperitur epigramma? — Ne Iucundum quidem, quamvis duas quae apud eum extremae Tiburtinarum sunt n. 3685 et 3820 fieri potest ut petierit hanc ex Cyriacano aliquo auctore, illam ex Antiquo, verisimile est inscriptionem Plautii Pulchri petisse aut ex Cyriaco aut ex Antiquo, nam in illis duabus inscriptionibus ipsae locorum indicationes apud Iucundum derivationem quodammodo produnt, inscriptiones tumuli Plautiorum et aliter ordinavit Iucundus atque illi (in Cyriacanis codicibus et apud Cyriacanos auctores omnes ordo est hic: n. 3607. 3606. 3608, apud Antiquum n. 3608. 3606. 3607, apud Iucundum autem n. 3606. 3608. 3607) et adscripsit quae neque apud Cyriacum neque apud Antiquum invenit, ad n. 3608 'a latere dextro ex minoribus litteris' (nempe quam n. 3606, exarata secundum ipsum 'in tabula marmorea ex magnis litteris'), ad nostram n. 3607 'a latere sinistro ex minoribus litteris'. Denique Brunelleschius quoque non video cur non et ipse possit habuisse apographum diversum ab eis quae reperiuntur apud priores.

De P. Plautio Pulchro praeter hanc inscriptionem nihil scimus. Filius fuit eius qui monumentum extruxit et cuius sunt tituli n. 3605. 3606, Plautii Silvani consulis a. 752, *triumphalis* dicti et hic (v. 3) et a Suetonio Cl. 26 propter ornamenta triumphalia. Natus videtur esse circa a. p. C. 6, cum quaestor fuerit Ti. Caesaris quintum consulis, id est a. p. C. 31. Comes Drusi, Germanici filii, videtur fuisse ante quaesturam; nam anno 31 iam custodiae in Palatio traditus erat Drusus (Tac. ann. 6, 23), mortuus deinde ibidem a. 33. Drusi, Claudii filii, appellatur avunculus, utpote frater Plautiae Urgulanillae. Inter patricios lectus est anno 48 (Tac. ann. 11, 25). A quibus vicinis lectus sit curator viarum sternendarum, non liquet. Mirum est tale munus in homine tantae nobilitatis; magis mirum id tot verbis in titulo sepulcrali enarrari. Possis suspicari, praesertim cum nullum militare munus suscepit, huic Pulchro aut valetudinem fuisse parum prosperam aut ingenium tardum. Ea ipsa res potest fuisse causa cur ad consulatum non pervenerit. Mortuus est non post annum 54, nempe Claudio nondum inter divos relato. Uxor eius fuit Vibia, Marsi filia, nempe ut videtur eius C. Vibii Marsi, qui fuit consul suffectus a. p. C. 47 (fast. Ant.), legatus Germanici in Syria a. 19 (Tac. ann. 2, 74), proconsul Africæ a. 28 et in sequentibus (Corp. vol. VIII n. 10568), legatus Augusti provinciae Syriae circiter a. 43 (Tac. ann. 11, 40; Iosephus ant. 19, 6, 4. 20, 1, 1), dicta in v. 16 *Pulchri* (uxor). Eadem sine dubio Vibia quod in v. 15 dicitur *Laelia nata*, et nos et alios diu torsit. Henzenus olim (ad Orell. vol. III p. 67) coniecerat scribendum esse *Laeliana*; cui coniecturae obstat consensus eorum qui inscriptionem viderunt. Bormannus videt Vibiam Marsi filiam dici natam *Laelia*, eodem modo quo in titulis sepulcralibus Etruriae, ex vetere Etruscorum consuetudine, ad nomen patris non raro matris nomen adscribitur (cf. huius corp. vol. I n. 1346. 1349. 1351. 1364. 1366. 1368. 1372 al.); id autem non mirum esse, si sumimus (cui coniecturae nihil obstat), Vibium Marsum cum uxore oriundum fuisse ex oppido aliquo Etruriae. Perusiae Vibios floruisse notum est.

3608 in tabula marmorea, quae extat loco antiquo iuxta tabulam n. 3606 a parte intuenti dextra.

TI · PLAVTIO · M · F · ANI
SILVANÓ · AELIANO
PONTIF · SODALI · AVG

III · VIR · A · A · A · F · F · Q · TI · CAESARIS
5 LEGAT · LEG · V · IN GERMANIA
PR · VRB' LEGAT · ET COMITI · CLAVD
CAESARIS · IN BRITTANNIA · CONSULI
PRO · COS · ASIAE · LEGAT · PRO · PRAET · MOESIAE
IN QVA · PLVRA QVAM CENTVM · MILL
10 EX · NVMERO · TRANSDANUVIANOR
AD · PRAESTANDA · TRIBVTA · CVM · CONIVGIB
AC · LIBERIS · ET · PRINCIPIBVS AVT RÉGIBVS · SVIS
TRÁNSDÚXIT · MÓTVM ORIENTEM SARMATAR
COMPRESSIT · QVAMVIS PARTE MAGNÁ · EXERCITVS sic
15 AD EXPEDITIONEM IN ARMENIAM · MISISSET
IGNÓTOS · ANTE · AVT · INFENSOS · P' · R · RÉGES · SIGNA
RÓMÁNA · ADÓRÁTVROS · IN · RÍPAM · QVAM · TVEBATVR
PERDVXIT · RÉGIBVS · BASTARNÁRV · ET
RHOXOLÁNORVM · FÍLIOS · DÁCORVM · FRÁTRVM sic
20 CAPTOS · AVT · HOSTIBVS · ÉREPTOS · REMÍSIT AB
ALIQVIS · EÓRV · OPSIDES · ACCÉPIT · PER · QVEM · PÁCEM sic
FRÓVINCIAE · ET · CONFIRMAVIT · ET · PRÓTVLIT
SCYTHÁRV · QVOQVÉ · RÉGEM · A CHERRÓNENSI
QVAE · EST · VLTRÁ · BORVSTENEN · OPSIDIÓNE · SVMMÓTO
25 PRIMVS · EX · EA · PRÓVINCIA · MAGNÓ · TRÍTICI · MODO
ANNÓNAM · P · R · ADLEVAVIT · HVNC · LÉGÁTV · IN sic
SENATVS · IN PRAÉFECTVRA · TRIVMPHALIBVS
ORNAMENTÍS · HONÓRAVIT · AVCTÓRE IMP
30 CAESARE · AVGSTO · VESPÁSIANO · VERBIS · EX
ÓRÁTIONE · EIVS Q · I · S · S
MOÉSIAE · ITA · PRAÉFVIT · VT · NON · DEBVERIT · IN
ME · DIFFERRI · HONOR · TRIVMPHÁLIVM · EIVS
ORNAMENTÓRV · NISI · QVOD · LÁTIOR · EI
35 CONTIGIT · MORA · TITVLVS · PRAÉFECTO · VRBIS
HVNC · IN · EADEM · PRAÉFECTVRA · VRBIS · IMP · CAESAR
AVG · VESPÁSIANVS · ITERVM · COS · FÉCIT

Recognovi. Hanc descriptam esse a Poggio constat inde quod adiecta legitur ad syllogen urbanam Poggii in exemplis eius syllogae cod. Vat. 9452 f. 37 et Angel. D 4, 18 f. 11' (cf. huius corp. vol. VI praef. p. XXIX n. 81). Praeterea saeculo XV descripserunt Cyriacus apud Petrum Donatum f. 66', cod. Parm. f. 74', cod. Marc. XIV, 124 f. 143, Vat. 6875 f. 69'; Antiquus n. 1 (Hamilt. f. 59, Marucell. f. 2, item apud Beheimium f. 96, sed is desinit in v. 27); Iucundus Ver. f. 134, Magl. f. 109'. Pendent ex Cyriacanis Marcanova Bern. f. 42', Mut. f. 53—54; Felicianus Ver. f. 145, ex quo cod. Redianus f. 125/6; Lilius cod. Helmst. f. 103; Ferrarinus Traiect. f. 97, Paris f. 102, Reg. f. 18 et solos vv. 32 seq. f. 128; Alciatus cod. Feae f. 40'. 44; Choler f. 62'; Sanutus cod. Ver. f. 242; ex Marcanovis Peutinger cod. Aug. 526 f. 416, cod. 527 f. 34, ex hoc rursus Apianus 190, 2. Mox descriptsse videtur Hermolaus Barbarus qui in castigationibus Plinianis (Romae 1492) citat v. 8 (verbum *Moesiae*) ad Plinii lib. V cap. 9 sub lemmate *et iterum Iovis*, item v. 10 ad lib. V cap. 14 s. v. Pareo. Integrum edidit primus Raphael Volaterranus commentariorum